

Et Imperator Constantinopolitanus Emanuel moriens, Alexium puerum, cui Agnes Philippi Regis Francorum filia esset sponsa, reliquit Imperij successorem Andronico quondam Græco, Regia Profapia Oriundo, ea conditione in tutorem, curatoremque sibi dato, vt Imperium ipse aliquot annis pro puero administraret, per quod item tempus Rex Hierosolimæ Quartus Balduinus Saladino Turcorum Regi præstantissimo, quoties congregeretur, fortiter resistebat, & tamen illius virtutem eximiam, & suum ipsius lepræ incommodum secum reputans futuris Christianorum Asiæ rebus, pro sua prudentia prospicere constituit. Cum enim deterrente morbo vxorem ducere nolisset, liberorum spè destitutus, nepotes quæsiuit relinquere successores. Duasque sorores in matrimonium collocauit, quarum primogenita, nomine Sybilla, Gulielmo Marchioni Monteferrati Longaspara, cognomine appellato nupsit, quæ primo anno filium peperit, cui Balduino fuit de auunculi nomine appellatio. Ad annum quoque in quo prædicta contigerunt, qui erat primus octogesimusque salutis, supra vndecies centennar. Alexander Pontifex Romanus gloria magisque annis plenus. Romæ diem obiit, cuius fuit successor Tertius Lucius Luca Vrbe, & gente nobili Oriundus. Per cuius tempora Pontificatus, & Hierosolimæ Regni, & Græcorum Imperij vires pessum ire ceperunt; Andronicus enim quem Alexij curatorem à secundo Emanuele relictum fuisse ostendimus, id ambiens Imperium, multa in hunc maximè modum machinatus est; gentem latini nominis, quæ frequentatissima, tunc temporis partim conuersabatur suis conatibus maximè aduersaturam suspicabatur, quare tanti apud populum, nobilesque, & ipsum Imperatorem egit, vt gens ipsa non magis publico edicto, quàm furibundo impetu sit expulsa, & breui post nauigantem laxandi animi gratia; Imperatorem Alexium in mare præcipitatum necauit. Isque sumpta euestigio purpura Imperator à Satellitibus, complicibusque declaratus omnes in Curia, & Ciuitate primarios horrenda substulit occasione. Quæ dum Constantinopoli ageretur Gulielmus Longaspara Monteferratensis Balduini Regis gener, & alterius Balduini infantis genitor, & Hierosolimæ est defunctus. Quare Balduinus Rex in grauescentis cum ætate morbi sui, & nepotis quem destinauerat successorem, ætatis & simul virtutis Saladini hostis periculum animo metitus, præsidium Regno simul, & nepoti per nouum sororis Sybillæ matrimonium afferre quæsiuit, eamque adolescenti Pietauia gente Oriundo Guidoni de Lusignano dedit vxorem; ea conditione dotis federibus adiecta, vt quando se rebus humanis eximi contingeret, Guido pro nepote Balduino quoad pueritiam supergressus esset gubernandam acciperet. Ingressusque Regiam Guido, permittente Rege omnia administrauit. Verùm Guido Lusignanus in Regni Hierosolimitani administratione, quam quartum Balduinum Regem sibi commississe ostendimus, adeò elatus, imprudensque fuit, vt eum Rex breui deijcere sit compulsus; quin etiam Rex nepoti, Regni que rebus consulturus, illum vt erat puerum in Regem declaratum de more iniunxit, Raymundo Comite Tripolitano in pueri ipsius Regis tutorem, Regni que administratorem, solemniter constituto. Paulò ante prius quam Lucius Pontifex Romanus